CPA. X.

CLAVORUM *figura incerta Credibile eos acutos, παραπλεύρους, longos fuisse.*

UT nihil quod ad CLAVOS ſpectat, deſideretur, eorum quoque figura hic delineanda eſt. Obtuſos fuiſſe quidam dicunt, quia nunc tales videntur: ſed obtuſum his quoque ingenium eſſe dicerem ſi modeſtè liceret. Nam quis credat ſemper eos intactos, ad nos uſque perveniſſe? non abraſiſſe, non fregiſſe priorum tam piorum erga Reliquias venerationem? Si quid fidei dare poteſt cor noſtræ Claræ, in eo ferrei CLAVI acuti reperti ſunt. Sed rotondine an quadrati fuerint, magis in dubio eſt. Hæret hîc mihi aqua. Rotundos fuiſſe luce clarius eſt, ſi Mallonio credimus, quod ex

ſacra

sacrâ sindone manifestum esse vult, quæ vulnera tam manuum, quam pedum Christi rotunda ostendit, rotundæ autem plagæ arguere videntur CLAVORUM quoque rotunditatem. Sed Mallonius si nos audiverit, lucem suam pati ecclipsin adverter. Nos enim illi negare audebimus Christi sindonem vulnera rotunda ostendere. Ille oculos suos testes infallibiles adducet: nos eum rogabimus, ut rationem comitem adhibeat: atque hæc arguet sacrum sanguinem in sindone vulnerum hæc signa tinxisse, qui guttatim fluens aut stillans non nisi rotundas maculas reliquit, & Roma CLAVOS figurâ παραπλόκου habet, cujus hæc verissima expressio est.

Quid

Quid si demus hoc illi, vulnera rotunda fuisse? Viden' CLAVI capitellum cavum, rotundum? hoc in manus pedesque gravissimis malleorum ictibus inflictum potuit, immò debuit tale sui signum imprimere. Qui τρίσηλον ξύλον Crucem indigitant, CLAVUM pedum ceteris majorem effingunt. effingunt, inquam, nam in scriptoribus nullum ejus vestigium invenitur. Grandes verò fuisse & longos præter SS. Patres etiam ratio ipsa insinuat, videlicet, qui manus pedesque & truncum penetrare, corpus deinde sustentare debebant, ut ne manus à tanto pondere dilacerarentur. Unde Birgitta Revelat lib. II. cap. XXI. CLAVI, inquit, *longe ultra Crucis stipitem protendebantur.* Hoc quoque confirmat curiosa Thomæ incredulitas, *Nisi mittam digitum meum in locum* CLAVORUM:

RUM; & Christi vocantis benignitas: *Infer digitum tuum huc.* Si enim vulnera digitum admittebant, patet non exiguos fuisse CLVAOS, qui hæc fecerant. Immò si libet eorum amplitudinem etiam oculis arbitrari, ecce illa in sindone Taurinensi, quæ sic delineata representat nobis Mallonius.

Nisi





Nisi quis suspicetur sanguinem in lineum amiculum receptum sui diffusione ampliorem dedisse maculam, quam vulnus ipsum erat. Hoc ego ausim pro vero adfirmare, & addo frustra esse Mallonium, qui pedis sinistri vulnus ideò latius fuisse conjicit, quod sanguis vulneris illius latius se in syndonem diffuderit: adeoque nullum esse ejus argumentum, quo probare nititur sinistrum suprà dextrum pedem fixum fuisse. Fateor tamen hunc vulnerum situm non admodum favere illis, qui Christo suppingunt tabellam suppedaneam, nam cum in superiori pedum parte multo longius distent plagæ à digitis, quam in plantâ, ut ex apodeigmate manifestum est metienti, certum est CLAVOS obliquè fixos esse cuspide infra vergente. Ita enim necesse erat, ut milites pedem,

qui

qui calcaneo tantûm suo stipitem tangebat, cruci adfigerent: stantis autem pedes ita figere, vix poterat.

CAP. XI.

Pedes disgregati. tabellam suppedaneam additam fuisse non est vero dissimile.

POrrò qui pedum habitus in ista crucifixione fuerit, variant Auctores. & satis perplexa res est: opus rigidi alicujus Aristarchi limatulo acutoque judicio, quod hunc nodum secet. Nam si ad Birgittæ Revelationes hanc litem decidere volumus, non possumus: neque enim ipsa ibi una est, aut certe non uno verbo rem unam explicat. in libro enim primo c. x. sic scribit: *Dexterum pedem crucifixerunt, & super hunc sinistram duobus* CLAVIS l. IV. c. LXX. *pedes similiter ad foramina*